



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

1. Vocabuli Breviarium explicatio, ejusque in genere contenta.
- 
- 

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

*Solidae devotionis exercitia.* 117

*Violaceus color designat lugubre tempus,*  
hinc in Adventu & Septuagesima usque ad Pa-  
scha eò utitur Ecclesia. Tempore Innoc. III.  
niger adhibebatur.

*Niger color mortis est proprius color, & hinc*  
Ecclesia modo eo utitur die Veneris S. & in Mis-  
sis Defunctorum.

## CAPUT QUARTUM.

*De horis Canoniceis in quatuor Paragraphos & 33.*  
*numeros distinctum.*

In quo adferuntur illa, quæ & meritò ab obli-  
gato ad horas dicendas sciri debent, & ad ma-  
jorem devotionem excitant omissis iis, quæ vel  
ad Theologiam Moralem spectant, vel in ru-  
bricis generalibus Breviarii continentur  
tanquam regulæ pro orando officio.

§. I<sup>mus</sup>.

*Breviarium ejusque Appendices.*  
*Officium Canonicum ejusque divisio & partes*  
*in genere.*

I. *Vocabuli Breviarium explicatio, ejusque in*  
*genere contenta.*

*B*reviarium (olim etiam Precationum Liber  
& Orarium dictum) significat ex Tomo 2.  
Concil. indicem & titulum cuiusdam operis.  
Ex

Ex Plinio & Suetonio compendium sive summarium & concisum opus. Utraque explicatio optimè convenit Breviario Ecclesiastico. Nam & indicat quotidie, quid orandum sit, &, ut bene reflectit Lessius, admirabile est mysteriorum S. Script. compendium. Continet enim imprimis Psalmos, in quibus per modum laudis omnia S. Scripturæ mysteria comprehenduntur. Dein selectissima V. & N. testamenti, sanctorumque Patrum notabiliora documenta & præcipua Sanctorum gesta. Hinc, licet sub Greg. IX. Anno 1241, ut ex Bulla patet, Haymo Generalis Minister Ordinis FF. Minorum S. Francisci, Breviarium Romanum cum Missali in meliorem ordinem redegerit, idemque ferè sit; quo nunc utimur [ vi Decreti Conc. Trid. Sess. 25. ] à Pio V. edito, & à Clemente VIII. & Urbano VIII. recognito. Malè tamen ab Hæreticis velut inventum Monachale exploditur, quia tota substantia est à Spiritu S. nempè Psalmi, & lectiones ex Script. Oratio Dominica à Christo, symbolum ab Apostolis, hymni plenarie à SS. Hilario & Ambrosio, cætera ut homiliae & lectiones de præcipuis Sanctorum gestis, orationes vel à summis Pontificibus, vel sanctis Patribus, vel viris omni eruditione & sanctitate clarissimis composita sunt.

## 2. Appendices Breviarii sex.

**P**rima Appendix Breviarii est Officium parvum B. V. M. à S. Petro Damiani vel institutum vel restitutum. Quod decr. Urbani II. in